



PROPOSITIONVM PHILOSOPHICARVM

*PARS ALTERA*

DE

**PHILOSOPHIAE**  
**NATVRA ET CONSTI-**  
**TVTIONE**

QVAM

*PRAESIDE*

**IOH. ALBERTO SPISIO**

D. ET P. P. E.

*IN ORDINE CIRCVLARI*

AD DISPVTANDVM

PROPONIT

**CAROLVS BENEDICTVS** *Digitill*

OFFENHVSA-NORICVS

PHIL. ET THEOL. CVLTOR

---

A. D. VI MART. A. R. S. c1010ccxxxiv.

---

*ALTORFII*

TYPIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

Q. D. B. V.

LI.



Uperiori specimine de *nomine* philosophiae, eiusque tum origine et ambiguitate, tum definitione, dictum fuit. Pergimus nunc ad *definitionem realem*, quam ex sapientiae notione ibidem eruimus, ipsamque adeo naturam philosophiae, explicandam: unde simul, quomodo ea dividenda, et quatenam illius partes sint, constabit.

LII.

Philosophia, secundum iam traditam definitionem nostram, est scientia rerum ad veram felicitatem utilium, ex ipsis rebus earumque ideis per rationem derivata.

LIII.

Scientia est; (XV, XLVII) non tamen stricto vel Aristotelico sensu. (\*) Quamvis enim permultae omnino in philosophia certae atque apodicticae dentur veritates, immo etiam, si quo alio, sane hoc in studio, ad certitudinem, quantum possibile, sit enitendum: attamen summum et nobilissimum hunc cognitionis gradum, per imbecillitatem humanam, non semper attingere, quin saepe, praesertim in rebus naturalibus, harumque causis et rationibus explicandis, ultra probabilitatem assurgere vix licet.

LIV.

Nimirum per scientiam a nobis hic nihil aliud intelligitur, quam solida et systematica cognitio.

LV.

Ad solidam cognitionem tria haec requiruntur: 1) ut quis ea, quae asserit, idoneis argumentis, sive certis,

A 2

tis,

(\*) De quo vid. Syrbius, in *Instit. philos. rat. P. I, C. XIII, §. XI, p. 197. seq.* atque ipse Aristoteles, *Post. Analyt. L. I, C. II, n. 1.* Add. de variis scientiae significatibus Roetenbecc. *Lag. V. et N. qu. 2108. et 2402.* it. Walchius, in *Lex. Philos. h. v.*



tis, sive probabilibus tantum, prout scilicet fert natura rei, probare atque confirmare queat; 2) ut nexum veritatum perspectum habeat, totumque saltem doctrinae illius, quam profitetur, ambitum animo complectatur; 3) ut sententiam suam contra dubia et obiectiones, vel cavillationes, quascunque tueri ac defendere possit. Quatenam vero argumenta sint certa vel probabilia, et quae sit placita sua legitime probandi atque defendendi ratio, in Logica docetur.

LVI.

Iudicium igitur, et propter rerum probabilium tractationem ingenium, utramque in philosopho faciunt paginam: atque hoc ipso maxime differt cognitio philosophica, et generatim erudita, a cognitione vulgari et simplici. (XXXI) Memoria tamen et experientia adeo non excluduntur, ut potius, tanquam necessaria requisita, iam praesupponantur.

LVII.

Hoc est, quod alii volunt, dum cognitionem in philosopho requirunt, partim *actualem*, partim *habitua-*  
*lem*.

LVIII.

Quod praeterea monent nonnulli, vivam quoque et efficacem esse debere hanc cognitionem, ad philosophiam abstracte, non in concreto, de quo nobis sermo est, consideratam pertinet; (XXXVIII *seqq.*) et adhaec nonnisi consequens fere est cognitionis solidae, cum fieri vix possit, quin animus hominis de vera felicitate, mediisque ad eam ducentibus, plene convictus, eadem etiam re ipsa sequatur, et agnitam veritatem in suum aliorumque usum quovis modo studeat convertere.

LIX.

Idem quodammodo de veritate dicendum, quam inter requisita cognitionis philosophicae nonnunquam  
com-

commemorare solent. Licet enim res ipsa certa et indubia sit; tamen id expresse atque figillatim monere supervacaneum est, cum in ipsa generali cognitionis idea iam contineatur: et falsa seu erronea cognitio, tantum abest, ut philosophiae vel sapientiae nomine digna sit, ut ne quidem cognitio recte dicatur. (LXVIII)

LX.

Haecenus igitur philosophia convenit cum omni solida eruditione: differt vero non tantum a cognitione vulgari, uti dictum, sed etiam a superficiali, et sectaria.

LXI.

*Superficiariam* cognitionem vocamus, quando quis in nuda variarum veritatum, ex systemate philosophiae, vel alius cuiuscunque disciplinae, hinc inde decerptarum, notitia subsistit, neque genuina singularum fundamenta tenens, nec de nexu earum inter se sollicitus: *sectaria* vero dicitur, quando coeco ductu alterius placita quis sequitur; unde non iudicio aut ratione constat eiusmodi cognitio, sed sola fere memoria veritatum, a magistro suo vel sectae principe traditarum, absolvitur.

LXII.

Est vero porro philosophia scientia rerum, et quidem ad veram felicitatem utilium. (LII)

LXIII.

*Genus* hoc est *proximum* philosophiae, ut scientia *remotum*.

LXIV.

Vel, si mavis, *differentiam genericam* expriment haec verba, reliqua vero definitionis *differentiam specificam*.

LXV.

Indicatur vero his verbis partim *obiectum*, partim *finis* philosophiae, uti reliquis *principium* eiusdem atque  
funda-

fundamentum. Sunt enim haec tria momenta, quibus artes et scientiae invicem distinguuntur.

LXVI.

Scilicet, ut hic de cognitione generatim quaedam addamus, quae singulis his deinceps eo melius declarandis poterunt infervire, omnis cognitio relationem involvit inter *subiectum* et *obiectum*, siue inter cognoscentem, et illud, quod cognoscitur, non secus ac visio inter oculum, et rem, quae videtur: et recte hactenus inter se comparantur cognitio et visio. Vti enim haec oculorum virtus est; sic cognitio generatim illam mentis nostrae, vel alius-entis intelligentis, notat virtutem, qua res et earum variae relationes ipsi praesentes sistuntur.

LXVII.

Vnde patet, tria semper ad cognitionem necessario requiri: obiectum cognoscendum, repraesentationem quandam in mente factam, et repraesentationis huius cum obiecto illo convenientiam.

LXVIII.

Cessante vero, vel correlatorum altero, scilicet obiecto, vel fundamento relationis, repraesentationis cum eodem convenientia, ipsa quoque cessat relatio, nempe cognitio. Et quamvis repraesentatio quaedam vel modificatio mentis contingat; haec ipsa tamen non magis cognitio dici potest, quam imago archetypo suo dissimilis, vel eodem plane destituta: correlata enim, secundum vulgarem canonem, se mutuo ponunt ac tollunt; nec relatio sine fundamento intelligi potest.

LXIX.

Cognoscit vero mens nostra res vel patiendo, vel agendo.

LXX.

Passiones mentis alias vocantur *sensiones*; actiones *cogitationum* nomine veniunt.

LXXI.

LXXI.

Sensio nunquam caret, nec carere potest obiecto, et, quoniam mens in ea tantum passive se habet, repraesentatio quoque necessario fit, et hinc ab obiecto discrepare, id est, falsa esse, nequit.

LXXII.

In cogitationibus vero, quoniam mens agit, libera etiam, nec obiecto adstricta est repraesentatio, adeoque falsitas non solum ac error, sed et fictio, locum habet.

LXXIII.

Ergo sensio quidem omnis est cognitio quaedam; sed non cogitatio omnis cognitio dici potest, quamvis omnis cognitio, activa scilicet, in cogitatione consistat: unde apparet, cogitationem a cognitione differre, tanquam genus a specie, sensationem vero, tanquam speciem a genere; vel rectius, sensationem pariter et cogitationem non esse nisi certam quandam modificationem mentis, quae vero cognitionis nomen accipit, quatenus ad obiectum quoddam, cui respondet, refertur. (LXVI)

LXXIV.

Porro alia cognitio *immediata* est, quando sine interventu alterius rei obiectum ipsum menti praesens sistitur; quomodo mens se ipsam atque actiones suas et passiones cognoscit: alia *mediata*, quando ope alius rei repraesentatio fit, cuiusmodi est cognitio reliquorum omnium tum in ipsa mente, tum extra eandem.

LXXV.

Immediata alias *conscientia*, et, Gallorum more, barbare quidem, nec tamen male, *reflexio* dicitur: estque omnium certissima, clarissima, distinctissima, et ab omni errore immunis.

LXXVI.

Mediata est vel *sensualis*, quae sensuum ope; vel *idealis*, seu *ratiocinativa*, quae rationis fit beneficio.

Vtra-

Vtraque, quamvis omni erroris periculo non careat, non minus tamen certa ac vera est, dummodo medium seu instrumentum cognitionis recte se habeat, et leges sentiendi pariter atque ratiocinandi probe fuerint observatae.

## LXXVII.

Ceterum ab hoc medio, cuius ope cognitio fit, in utraque specie distinguendum est fundamentum cognitionis, sive id, quod cognitioni originem praebet, vel unde cognitio derivatur; idque ipsum est, quod vulgo *principium cognoscendi* appellari solet.

## LXXVIII.

Iam, ut ad definitionem nostram redeamus, et quomodo ab aliis scientiis differat philosophia, distincte ostendamus; primum quidem de subiecto et obiecto videbimus.

## LXXIX.

*Subiectum* philosophiae est mens seu intellectus humanus, artium et scientiarum communis sedes atque receptaculum, de quo hic plura dicere nihil attinet.

## LXXX.

*Obiectum* vero, seu id, quod in philosophia cognosci debet, sunt res ad veram felicitatem utiles. (LXV)

## LXXXI.

Res, inquam, non verba, aut notiones tantum abstractae, vel termini philosophici: horum enim notitia, quamvis in philosophiae studio, quae hodie praesertim eius est facies, sua non destituatur utilitate, ad ipsam tamen philosophiam per se et absolute non requiritur; certe sapientiae, ad quam philosophia refertur, nulla aut exigua pars est.

## LXXXII.

Verborum autem tractatio ad philologiam, sive Grammaticam veterum, adeoque ad artium liberalium studia, pertinet, a quibus philosophiam iam seiunximus (XV).

## LXXXIII.

## LXXXIII.

Id quod tamen de verbis *materialiter* spectatis intelligendum, h. e. secundum literas ac syllabas, harumque quantitatem et qualitatem, variam item flexionem vocum atque compositionem, et reliquum externum orationis habitum: *formaliter* enim, quatenus scilicet signa sunt rerum vel cogitationum nostrarum, omnino etiam philosophicae sunt considerationis.

## LXXXIV.

Ceterum rerum nomen, ut ex oppositione satis apparet, in latiore significatione (\*) hic notat, quicquid menti humanae, vel in intellectu cognoscendum, vel in voluntate appetendum agendumve, potest offerri; paucis: omne, de quo cogitare possumus; solis vocibus et sermone exceptis.

## LXXXV.

Neque tamen omnium aut quarumvis rerum scientia philosophiae nomine venit; sed earum duntaxat, quae ad veram felicitatem utiles sunt: etenim philosophia ad sapientiam refertur; (XXVII) rerum autem inutilium, ac multo magis noxiarum, cognitio splendidum sapientiae, ac vel ipsum eruditionis, nomen minime meretur. (XXX sequ.)

## LXXXVI.

Ergo etiam obiectum philosophiae proprie non sunt nisi res vere existentes; non possibilia tantum, vel impossibilia, quorum quippe in felicitatis vel acquisitione, vel conservatione, nullus est usus: et frustra sane quaeritur, immo ne datur quidem, scientia rei nusquam existentis. (LXVIII)

## LXXXVII.

Differt hoc obiecto philosophia non tantum ab artibus et scientiis vanis atque inutilibus, sed etiam ab arti-

B

bus

(\*) Nempe etiam huius vocis plures dantur significatus, de quibus itidem vid. Roetenbecc. in *Log. V. et N. qu. 221*, et Musaeus, *Instit. Metaph. C. II, S. 2.*

bus liberalibus et literis humanioribus, quae praecipua quadam ratione circa voces et sermonem tantum versantur; convenit vero adhuc cum theologia, et reliquis eruditionis partibus.

LXXXVIII.

*Finis* itaque philosophiae, ut omnis cognitionis, est felicitas humana, eaque vel acquirenda, vel conservanda, vel promovenda atque augenda.

LXXXIX.

Felicitas autem vel *summa* est et *aeterna*; vel *subordinata* et *temporalis*, eaque tum *interna*, quae in rectitudine intellectus et voluntatis, hincque oriente mentis tranquillitate, consistit, tum *externa*, quorsum bona corporis et fortunae solent referri.

XC.

Utramque philosophia pro fine habet. Quamvis enim haec media ad felicitatem aeternam consequendam necessaria ipsa non suppeditet: viam tamen ad eandem munit, et ostendit, quo pacto revelatio divina, quae defectum hunc rationis ex affe supplet, investigari atque inveniri queat.

XCI.

Ceterum *finis* hic est *primarius*, isque *proximus*; *remotus* autem, isque *ultimus*, est gloria Dei, ad quam nimirum omnes cogitationes actionesque nostrae sunt dirigendae.

XCII.

*Secundarii* porro fines sunt reliquae utilitates, tum quae in omnes alias, in primis superiores scientias et *facultates*, quas vocant, ex philosophia redundant; tum quae philosophiae cum omni eruditione in genere sunt communes.

XCIII.

Denique, ut ad ultima definitionis verba accedamus, derivatur scientia philosophica per rationem ex ipsis rebus, earumque ideis.

XCIV.

XCIV.

*Ratio* nobis hic nihil aliud est, quam facultas ratiocinandi, id est, veritates alias ex aliis per necessariam concludendi rationem eliciendi.

XCV.

Per *res* vero non intelligimus, nisi vere existentes; quemadmodum per *ideas*, quascunque earum in mente representationes.

XCVI.

Ratio igitur non est principium, sed medium cognoscendi in philosophia. (LXXVII.)

XCVII.

*Principium* vero, seu fundamentum, sunt res ipsae, et earum *ideae*: quarum primas quidem, partim sensuum ope, partim conscientia, mens nostra acquirit; postea vero ex his ipsis *ideas* universales per abstractionem format, et ex harum combinatione principia sive axiomata, in quibus denique omnium demonstrationum legitima posita sunt fundamenta.

XCVIII.

Hoc igitur principio iam philosophia distinguitur a reliquis partibus eruditionis, theologia nimirum, et iurisprudencia, itemque historia. (XLVI) Medicina vero, prout iam monuimus, (XV) non nisi pars est philosophiae, quippe quae et ipsa veritates ac doctrinas suas ex eodem fonte seu principio deducit, eodemque medio in rerum cognitione utitur.

XCIX.

Etsi vero sic quam maxime differunt philosophia et theologia; nulla tamen inter utramque statuenda est pugna, sed potius harmonia fidei et rationis firmiter stabilienda.

C.

Non minus et ii falluntur egregie, qui philosophiam cum iurisprudencia collidi, et hinc huius cultoribus parum utilem vel commendandam esse, sibi aliisque persuadent.

CI.

CI.

Ex definitione philosophiae haecenus explicata, varia iam deduci possunt confectaria: et 1) quidem, quum scientia sit philosophia, manifestum est, philosophiam *septicam*, quae nihil sciri posse profiteretur, id nomen minime mereri.

CII.

2) Non unam tantum aut alteram veritatem, quantumvis propriam meditatione cognitam et probatam, ad philosophiam sufficere, sed systema veritatum requiri; adeoque philosophi etiam titulum laudemque eum demum tueri posse, non qui varias veritates ad philosophiam spectantes memoria tenet, sed qui doctrinas philosophicas omnes, tum inter se, tum cum principiis suis, accurate connectere, et, ubi opus, a dubiis defendere novit.

CIII.

Quumque scientiae sedes sit mens humana omnibus communis; sequitur 3) etiam omnes homines philosophiae esse capaces, dummodo ingenio philosophico, id est, iudicio et ratione, polleant; (LVI) nec mirum adeo est, dari exempla mulierum philosopharum.

CIV.

Quum porro philosophia sit scientia rerum, non verborum, nisi quatenus signa sunt cogitationum; (LXXXI seqq.) patet, quid sentiendum sit de philosophia et imprimis metaphysica *scholastica*, quae maximam partem non nisi in abstractionibus et verbis versatur, iisque saepius nihil significantibus.

CV.

Quum denique per rationem ex ipsis rebus earumque ideis sit derivanda; sequitur, nec philosophiam *traditionariam*, nec *sectariam*, nec denique *scripturariam* vel *christianam*, admitti posse.

CVI.

Plura addere iam non licet; quamobrem etiam, quae de divisione et partibus philosophiae dicenda restant, alii tempori et occasione reservamus.